

netrant. Ob id cuiuslibet rei aliquod excrementum superest, dico ex aromatibus & gemmis ac cibus: aut quia secretum, velut lapidum puluis, qui solet euomi, si solus fuerit: aut quia naturæ odiosum. Inelaboratum & crassum ac terreum pro excremento habetur. Sed venena pernitiōsa tenuia facta si sint, permeant ad cor, & exinde ad cerebrum: neque enim sensus illis partibus præterquam naturalis. Considerandum est igitur, de opio & cicura, & an quodlibet medicamentum penetrare valeat, & quando secernatur: nam

si odiosum sit, vt ob odorem maximè & saporem deinde, ob substantiam vt de pulueribus dixi, statim rejicitur vomitu. Secunda secretio fit ad feces, cum superari nequeunt, vt pingua quædam putrida, & molem duram habentia; vt malè cocta legumina, & vix passæ paræ. Tertio loco in vrinis, quæcumque molem aut habent aut acceperunt, aut nimis acria facta sunt. Quæ igitur iam ad membra peruenerunt, neque tamen in illa transmutari possunt, forsitan etiam quarto loco secernuntur; quædam autem non.



LIBER QVINTVS PARALIPOMENON. De Rebus factis raris & artificijs.

CAPVT I.

Quintiliani Liber de Altercationibus.



Emittit Georgius Agricola in *tertio Inventionis Dialectica*, vidisse libros Quintiliani de *Altercationibus*, qui tamen nusquam comparuerunt.

CAPVT II.

Domus diruta momento Bononiæ.

Constat Palatium quod adhærebat domui, quam nuper Bononiæ conduxit, quodque totum iacet, vna nocte fuisse subrutum, & cum eo Dominum domus: qui, cum vt existimatur, potentes haberet inimicos, & ipse tutus comitatu incederet, illi clam per locum patentem qui sub terra erat, è regione columnæ amplæ, quæ in angulo porticus vtramque illius partem sustinebat, suffosâ terrâ auctore . . . Gramigna, qui Prouinciam hanc ducens coronatis locarat, & pyrio puluere impleto cuniculo locum clausit diligentissimè, lapidibus coaptatis, prius tamen admoto igne, sic vt spatio horæ per funiculum ignis perueneret ad puluerem. Sed cum serius aliquantè res procederet, Gramigna coëgit ense educto . . . vt ad locum iret, reuisurus cur tantum differret (cum dici solet *nulla expectatio breuis esse videtur*.) interimque accenso igne, totum Palatium repente corrui; & tanto strepi-

tu, vt nobilis quidam ex altera parte viæ, correptus febre pluribus diebus, penè interierit: ipse verò obrutus, & postea inuentus, lacerato cadauere tamen suspensus est: dignus vt viuus potius quàm mortuus eo dedecore aspergeretur. Auctor tanti sceleris stulto sanè consilio adhæsit Parmæ Principi Pharnesio, cum quo iam antea arctam familiaritatem contraxerat. Sed is perosus hominem; seu consanguineis occisi Lippi Ghisflezzi, qui cum famulis perierat, filijs, in domo quam nunc conduxit cum matre illorum seruatis, suadentibus; seu illo, qui iusserat facinus, virgente; ne aliquando detegeretur; suspendi, noctâ leui occasione, iussit. Vt placere possint etiam tyrannis scelerata facta, & nonnunquam etiam vindices, & auctores ministri nunquam; nisi tyranni modum iam vitæ improbitate excesserit.

CAPVT III.

De insidijs duorum centurionum Mutinensium.


Mutinenses duo centuriones, quorum vnus vocabatur Lanfranccus Fontana; alter Camillus de Furno, monomachâ decertarunt. Cum neuter cecidisset, Fontana excogitauit plures pixides, in quibus erant machinæ igneæ paræ, & puluis pyrius, aded industriose fabricatæ, vt epistola quæ pyxidi incumberebat, à pyxide rescisa, exoneratis machinis igne globulis, non solum qui epistolam rescidisset, sed & omnes qui propè erant, occideret. Ad multos eadem die transmissæ Venetias, Mantuam, Florentiam,

tiam, aliásque Ciuitates quos oderat; sed non eodem modo res cessit. Nam Florentiæ loco hostis, Publicanus periit: quibusdam in locis voto potitus: & priuatorum & principum communi odio damnatus est, non tamen pœnas dedit, morbo præpropere sublati,

CAPVT IV.

Fornix Bononiæ ante arcem nullis suffulta columnis.

Bononiæ in suprema muri arcis parte suggestum alteri imminens fornicato opere est: pendentibus quatuor capitulis, sed nullis suppositis columnis; verum ferreis tantum laquearibus connexa, vt nec tanto operi sufficere sustinendo possint, etiam si vtriusque inniterentur. Excogitata à me ratio est huiusmodi. Ferri aut æris virgæ crassiores, humanâ tibiâ iuxta talum sinuentur pro fornix ratione: totidem quot capitula, vnusque vocetur ABC, eâ moderatione, vt capitulo addito BD laquear cõtineat sinuationem, & BC inferatur muro validis clauibus, & ad angulum obtusum; sic vt pondus non possit rectam partem conuellere à muro. Quibus suppositis necesse est stare fornicem, quoniam neque BC prouere potest ob claues, nec AB auelli ob vinculum nodumque B: vbi quanto magis premitur, eò magis firmatur, neque cedere vt arcus chordâ DB subtensâ, neque frangi, quoniam ponderi ferreæ virgæ crassities respondet, & forma fornicata, quam videmus etiam è simplici lapide manere constantissimam. Attamen quæ Bononiæ constructa est fornix, X figura, intersecantibus se ad capitula truncis ferreis constat. Exterius verò scilicet à lateribus suggesti, vbi murus exporrigitur, ferri brachia extenduntur muro inserta, & vt retinacula. Sed non quibus, premente turba hominum præsertim, vetusto opere ob multas causas planè fidendum sit.



CAPVT V.

Vitreæ spherula.

Vsus vitrearum spherularum, reddentium diuersos colores, ac structura adeò frequens est Venetijs, vt vili pretio veneant. At duas vidi apud Io: Franciscum Fabam, Mercatorem Bononiensem, ex Ægypto vt reor delatas, rotunditatis per-

fectæ, magnitudinis cotonei mali, non admodum tamen magni seu mediocris punici, è vitro candidissimo ac perspicuo admodum, crassitudo quanta corticis nucis, vbi pars parti committitur: pondus magnè valde, ad eò vt quod continetur metallicæ aut lapideæ materiæ esse constet. Res ipsæ intus videbantur, sed non vt vbique prope vitri essent superficiem interiorem, nedum vt ipsum tangerent, pulchritudine & varietate inimitabili, ad eò vt artifices Muranenenses simile quippiam fabricare nullo pretio inducti, ausi sint. Spectatur intus inter reliqua auri fulgor purus, cæruleus splendor nitens: plantarum virens viuacitas, montium inæqualitas. Dicas peregrinis nobilibus coloribus, inæquali molis summa cum gratia oculos oblectante, vitream vaginam circumductum fulgorem adiecit.

CAPVT VI.


De siccando pyrium puluerem.

Franciscus Zepardus cum inuenisset modum siccandi puluerem pyricum, qui antea soli exponebatur vapore aquæ calidæ, præfectus est Venetorum Naualibus, seu vt verius dicam, Naualium pulueri pyrio; quod vt exiguum videatur ob multitudinem illius, necesse est vt plurimum referat. Ita minima cautio abundè suppeditat victum. Sed hic etiam multa alia inuenit; Cremonensis est.

CAPVT VII.

De Armillarum instrumento.

Constat ex circulis tribus instrumentum armillis simile, quorum superiores sunt duplicati, & polis secundus primo fixis infigitur. Vt sit AB circulus primus, cui innixi sint ad rectos polorum CD



poli interioris, & vterque duplicatus, vel vt media pars circumagi possit sub eisdem polis, quia inferior; vel quia ex dimidio stabilis præter polos, ex dimidio mobilis. Tertius autem in medio secundi, ita

vt circumagi possint poli eius ex E in C, & C in G, & G in D. Et rursus polis quasi nullis ex E in F, & F in G, & G in H. Et vt lateat prorsus coniunctio, aded vt annexus alter alteri videatur. Tale instrumentum vidi apud virum Maximiliani Cæsaris, Mathematicum Medicum & Philosophum insignem, Ioannem Sagerum Gisenhaigen Vratislensium, quantum neque ipse docuerit, quomodo insertus esset; neque ego interrogauerim. Ergo fieri potest, vt circulus inferior DE C G circumuertatur, superiore immobili: atque ita poli ferentur per E C G D: sed tunc necessaria erit cauitas infra circulum secundum, per quam feratur. Sed si circulus E C G D integer sit, fieri non potest vt ferantur poli nisi cum circulo, cui infixi sint: hic autem est pars circuli prædicti media, aut etiam inferior. Erunt ergo tres modi. Inferior autem circulus, cum in seipso reuoluitur, poterit manentibus quidem polis circumduci à lateribus, fixo manente medio: nam si medius transferatur cui polus infixus est, exhibit polus circumductus circulum E C G D secundum latitudinem: aut transferetur polus per cauitatem. At tunc non erit circulus F G H solidus. Cum ergo voluerimus circulos ambos esse solidos, relinquuntur duo modi tantum, vt pars media circuli secundi, cui infixi sint circuli, circumuoluatur, & extremæ inferioris partes, seu latera: aut vt pars inferior secundi circuli intrusa superiori, & in qua sint poli fixi edem modo sub superiore circumducatur, atque eo modo totus circulus E F G H circumagatur per E D G C. Ipse verò circulus E D G C in seipso vt prius manente fixa parte media, in qua sunt poli infixi, circumducatur lateribus suis. Commune autem est ambobus, vt poli sint infixi vtrisque circulis secundo & tertio, & quòd latera inferioris manente medio circumagantur. In secundo tantum differunt; cum vel media pars manentibus lateribus, vel inferior superiore fixa circumduci possit.


CAPVT VIII.

De Palatio Mirabili.

Est extra portam Lamatum, non distans fundæ iactu, Palatium Hieronymi Ranutij, hæc arte erectum, vt cum portas habeat amplas, non nisi ex oriente vel occidente sole, ætate eius radios excipiat, aut per parum; hyeme magis. Sit ergo palatium A B rectè positum à meridie ad septentrionem, vndequaue conclusum, nisi in portis: & A respiciat ad meridiem ad vnguem, necesse est vt quantò magis eleuetur, vt minus ingrediantur radij: vbi autem fuerit depressus in oriente, vel oc-

Tom. X.

Meridies.




Septentrio.

cidente, vel hyeme, vt magis sed à lateribus prohibetur. Qualiscumque autem mensura dicitur partim simpliciter, partim comparatiuè, magna aut parua. Ergo cum sit ob altitudinem iuxta meridiem illuminatio parua, & dum oritur ob latera, & cum cæcus oblongus erit, minor videbitur cum eadem sit, liquet eò obscuriorem futurum, quò frigidior. Differt autem ab cæcis quòd fenestras non habeat: esset enim frigidior & luminosior simul, & in latere è orientali: at ibi triclinia & cubicula posita fuerit. Oportet autem ad symmetriam disponere, cum latitudo & altitudo in eo magna sit.

CAPVT IX.

De Camino sumi experte.

IN solo Iaris efficiunt duos canales in ignitudine palmi, & tantundem datos à pavimento, qui excipiunt aërem liberum prope: vnus ex A, alter ex F; vnde cum



aërem semper moueatur, & ex luto conclusus in angustum deferatur per BC & ED sursum: sequitur enim maiorem motum, qui non tam potest esse in loco concluso, quam in libero. Cum autem feratur ad E, impellit fumum, idque minus est, nam trahit consequentia corporis. Id mali est, quòd refrigerat locum quem calefacere studemus. Idcirco licebit operculis vel per tubos vt à sinistra, vel per pileos vt à dextra canales tegere, cum fumi suspicio non adest. Hoc auxilium leuioris impentæ est camini vestimento, de quo aliàs actum est.

N N n CAP.

CAPVT X.


De vrtica filo & tenuitate lini.

TRia sunt quæ in fila rediguntur: Canabs, linum, atque hæc omnibus nota; tertium vrtica. Siccatur, tunditur, depe&ititur, inde nent texuntque. Sunt qui putant telas ex Belgia delatas, vrticeatas vocatas, ex hoc genere esse. Constat sanè vrticam cultam filum emittere telæ conficiendæ idoneam, quod etiam vt aliàs dixi apud Scythas in vsu est, telæque eiusmodi perquam tenuis est. Ex lino nent, vt in singulas vncias bini coronati pro opera impendantur, maiore longè precio quàm fericum. Aded tenuia sunt filamenta.

CAPVT XI.

De musica & symphonia plurium vocum.

Solent fieri chori canentium diuersimodè ex XXIV, aut XL, aut etiam LX personis: cum tamen vix harmonia humanarum vocum excedat interualla XXI, è quibus solum sunt nouem symphonica. Quomodo ergo XII. aut plures musici diuersi vocibus concordés canere poterunt: tum multò minus XL. aut LX. Eà igitur ratione diuisi sunt in choros, vt vides, puta senos, voces XXXVI, & sibi




inuicem respondent Primus ac sextus; secundus post quinto accinit, vt tertius quarto. At cum omnes simul canunt, voces maximè distantium vnisonæ sunt, velut Primi chori cum quarto, & secundi cum quinto, & Tertij cum sexto. Sed vnisonus non percipitur in tanta distantia, & tot intermediis. At successus & ordines variant, licet voces eadè sint: velut si primus primi chori dicat *ut* in medio, idem dicat secundus tertij chori, & quintus quarti, & secundus quinti, non eodem ordine voces succedent: sed qui in primo choro est, gratia exempli, lentè procedet per tonos ac semitonia, secundus per tertiam, *ut mi sol* celerius; qui in quarto adhuc celerius per quartam ac secundam, *ut fa mi la*

qui verò in quinto celerrimè vtpote abfque ordine vilo. Ita distantia, ordine, tempore (licet eadè proferant voces) diuersas singuli proferre videbuntur, latebitque vnisonus, qui tamen vbiq; circumstretet, intermediis maximè omnia miscentibus.

CAPVT XII.

Instrumentum ad expiscandum è fundo putei.

Vidi apud Semnios. B. Seruatoris Bononiæ: constat ex ferro longiore quàm lato, formâ ouali: in ambitu spicula



palmi maioris magnitudine distantia, pollicis latitudine: in A & D nodi, quibus propria grauitate concidit in vnum, vt solis spiculis distet. Totum igitur instrumentum cum constringitur, palmi vt dixi magnitudinem explet, oblongum tamen circiter palmos quinque. In C quæ anfa est qua suspenditur instrumentum, nodus itidem est vt coire possit: spicula, cum constringitur instrumentum decussatim, coeunt inuicem, vt speciem præbeant retis, dum coierit. In EFGH sunt foramina, ex quibus gemini ac gemini funes in vnum coeuntes prodeunt. Vfus eiusmodi est. Tres viri detinent instrumentum ex L & M quidem, vt latum & dispessum demittatur: tertius robustior & cum crassiore fune, ne ruat in imum, aut defigatur: sensim demittitur. Vbi fundum putei attigerit, qui tenent funes L & M remittunt: ita spicula abradunt imum putei, & in vnum coeunt decussatim, recipiuntque rem quæ cecidit, ac firmiter retinent. Oportet autem ad æquilibrium retrahere, quamuis coronides prohibeant, ne decidat, quod antea tam insigni industria collectum est.

CAPVT XIII.

Instrumentum ad Venerem.

Retulit mihi Rodericus Carrera Lusitanus, Patritius, amicus noster, quod ex orientali India quidam annuli ex aurichalco afferebantur, qui tacti somnum quendam stridulum, leuemque, sed qui diu perseveraret, emittunt: quique virili membro diuisa cute inferuntur, eaque rursus consolidata dum vuluæ intruditur, exemplo sumpto à canibus, membrum duobus aut tribus nodis per totam noctem vinctos teneret, voluptate mulieris non leui, sed magno cum labore extrahebatur. Possunt spiritrix veterum tam monstrosa Venere vinci.

CAPVT XIV.

Ars celandi.

In metallis perinde est; ac in luto aut gypso, vbi profunda sit: in ficis autem corporibus ferro fit, seu chalybe, aut gemma, cum tota vel ære ac Smiride. In metallo autem iam duraro, figuræ tenues & paruæ fiunt, formâ in chalybe prius prominente, inde malleo impressa in argentum; aut æs: ficenim ad amissim figuram exprimitur. Sed non est tam simplex opus vt quidam putant, neque vulgaris: ingenij corpus formant truncum, caudâ, capite, pedibus etiam, vel vno tantum carens: seorsum pedes, caput, alas, caudam. Ita de floribus, atque his quæ communi consuetudine in vsum sigillorum veniunt, inde compaginata in vnum imprimuntur, vt cauam, reddant formam. Sic pluribus, & diligenter satisfacere licet paucis, quod aliter succedere non posset: aut enim inelaborata aut maiore cum labore fierent, quàm vt illo precio possent compensari.

CAPVT XV.

Commodum litterarum recipiendarum.

Res parua sed non leuis emolumentum, quam didici apud Marianum Massaiolum Sifensem amicum meum, magistrum cursorum: (nam multi simulantes dare litteras, datas ab aliis subfurantur) construxit ille in atrio, quod noctu clauditur intra ianuam, sed iacet tamen extra primam clausuram, quam postem appellare possumus, Mediolanenses apud quos in vtu maxime sunt, faciunt foramen decliue magnitudine fermè manus, in quod litteræ immisissæ, delabantur in cistam. Sic astantis famuli parciunt impensæ, & vt dixi tutius dantur, & datæ custodiuntur.

CAPVT XVI.

De Ebore ductili.

Refertur ebur in sex horis cum mandragoræ radice coctum, ita fieri ductile, vt in quamcumque figuram traduci possit.

CAPVT XVII.

De vino faciendo.

Princeps affirmat ex X X aquæ libris & X mellis, nucis autem Senden libram & semis, prius calefactâ aquâ & melle mistis, & contecto vase agitatâ, confestim fieri vinum. Est enim nux illa mellis anima, vt inquit Serapio, & vocatur nux columborum, & est terra alba ad citri colorem tendens, quæ oritur vt Tuber in terra & ex terra: est enim quædam pinguedo terræ magnitudinis ciceris, & per se cit vomitum, sed mista clarificat mustum, & vt dixi transiit mel & aquam in vinum, & est potestate frigida & sicca, & vocatur, Zarau, & inuenitur in Corasceni & Barcha.